BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 218r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Incipit · i · l · esdre ·

Incipit primus liber esdre ·

Nanno primo cyri regis persarum ut compleretur verbum domini ex ore Jeremie suscitavit dominus spiritum cyri regis persarum et tradidit vocem in universo regno suo et per scripturam dicens · Hec dicit cyrus rex persarum · Omnia regna terre dedit michi dominus deus celi et terre et ipse precepit mihi ut edificarem ei domum in ierusalem que est in iudea · Quis est in vobis de universo populo eius sit deus illius cum ipso · Ascendat in ierusalem que est in iudea et edificet domum domini dei israel · Ipse est deus qui est in ierusalem et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant adiuvent eum viri de loco suo argento et auro et substantia et pecoribus excepto quod voluntarie offerunt templo dei quod est in ierusalem · Et surrexerunt principes patrum de iuda et beniamin et sacerdotes et levite et omnis cuius deus suscitavit spiritum ut ascenderet ad edificandum templum domini quod erat in ierusalem · Universique qui erant in circuitu adiuverunt manus eorum in vasis argenteis et aureis in substantia in iumentis in suppellectili · exceptis hiis que sponte obtulerunt · Rex quoque cyrus protulit vasa templi domini que tulerat nabuchodonosor de ierusalem et posuerat ea in templo dei sui · Protulit autem ea cyrus rex persarum per manum mithridatis filii gazabar et annuerant ea sasassabar principi iude · Hic est numerus eorum · Phiale auree xxx · Phiale argentee mille · Cultri xxxix · Cyphi aurei xxx · Cyphi argentei cccc x · Vasa alia mille · Omnia vasa aurea et argentea quinque milia et cccc · universa tulit sasassabar cum hiis qui ascendebant de transmigratione babylonis in ierusalem ·

II

Hii sunt autem filii provincie qui ascenderunt de captivitate quam transtulerat nabuchodonosor rex babylonis in babilonem et reversi sunt in ierusalem et iudeam unusquisque in civitatem suam qui venerunt cum zorobabel · hiesua · nee mias · saraia · rahelaia · mardocha · bel san · mesphur · belgnai · reum · baana ·

Numerus virorum populi israel · filii phares · duo milia · c · lxxv · Filii arethi · dcc · lxxv · filii sephezia · ccc · lxx v · filii arri · dcc · lxxv · filii iersephacia · ccc · lxxv · filii pha et moab · filiorum yosue et ioab · duo milia · dcccc · xii · filii helam · mille · cc · liiii · filii zechua · dcccc · xlv · filii zachai · dcc · lx · filii bani · dc · xlii · filii bebai · dc · xxiii · filii azgad mille · cc · xxii · filii adonicam · dc · lxvi · filii beguai · duo milia · lvi · filii addin · cccc · liiii · filii ather qui erant ex ezechia · lxxxx · viii · filii besai · ccc · xxiii · filii ioram · c · xii · filii asom · cc · xxiii · filii gebar · lxxxv · filii bethelem · c · xxiii · viri nechupha · lvi · viri anathoth · c · xxviii · filii azmaneth · xlii · filii cariathiarim · cephiar et bethoth · dcc · xliii · filii arama · et gaba · dc · xxi · viri machmas · c · xxii ·